

quod in eo peccatum est, non mihi, sed Superioribus adscribendum, qui de hoc pestifero semine in Academiam introducto coram Deo respondere coguntur. Quandoquidem ego gentilem hunc Professore verè Atheum non motu proprio, sed jussu Regio in Academiam solenniter introduxi, qui mihi loco gratitudinis post meum è Sueciadiscessum pro suo Monzambaniano ingenio multa mendacia malitiosè affingere voluit; nulla alia de causa, quod ethnica ipsius scripta, & nova detestanda ejus entia Moralia laudare noluerim &c. Quid mirum quod mihi non parcat calumniator, cum nec summis in mundo capitibus, Regibus & Principibus pepercerit in libello suo famoso, quem fictè vocat Severinum de Monzambano Veronenfi de statu imperii Germanici; quod scriptum famosum meritò à carnifice publicè concremandum esset, ad autoritatem imperii tanto securius conservandam. In quantum omnes Sacerdotes in tota Suecia & Dania clandestinum Puffendorffiani atheismi venenum unanimi voce detestantur, verbis exprimi nequit. Deus hunc hominem convertat, ne Christianismo nova ac plausibili atheismi sui doctrina amplius noceat.

*Jam coronidis loco subnecto sequentem questionem multum ponderis in se complectentem, quam nec Seneca, nec Plato, nec Socrates, aut ullus alius Philosophus sufficientissimè resolvere potuit, quid ergo mirum, si nec ego eandem plenariè resolvere valeam, attamen tentare licet.*

**Q**uæritur, An felicitas actionum civilium conjuncta esse possit cum impietate, & an illi, qui Deum in omnibus suis actionibus, quantum in hoc corrupto rerum statu licet, Auctorem ac Ducem sequuntur, citius miseri civiliter fiant, quàm felices? Respond. Mundus quidem vulgò opinatur, creditque, mortuum neminem felicius ætatem transigere iis, perversæ voluntatis suæ disideria sectantibus; verùm hi miserè fallunt, & falluntur; Quandoquidem nulla sine Deo vera & constans esse potest felicitas: quam assertionem ipsa insuper experientia ac infallibilis omnium temporum testis historia comprobant: illud enim regimen (tam privatum, quam publicum) demum censetur felix, quod ad Dei nutum & voluntatem, seu juxta jus Divinum instituitur: sic Abraham, Moses, Josua, David, Salomon Josaphat, Hiskia, Josia ob pietatem fuère felicissimi: quoniam pietas